



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis  
Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

47. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

tionem Ecclesiæ provideat Presbyterum, ejusque conductu de eodem elaboratu decimas eidem Ecclesiæ conferat. [Caput istud non extat in codice MS. Reginonis.]

Item de nonis & decimis. *Ex eodem,*  
*cap. xxxvi.*

Concil. Cabio. 2. c. 19.  
Lib. 2. Capi. monitiones & prædicationes sacerdotum dare  
tular. c. 38. **X LV.** Qui decimas post creberrimas ad-  
neglexerint, excommunicentur. Juramento  
verò eos constringi nolumus, propter pericu-  
lum perjurij.

Item de nonis & decimis. *Ex eodem,*  
*cap. xxii.*

Lib. 2. Capi-  
tular. c. 21. **X LV I.** De nonis quidem & decimis, unde  
& genitor noster & nos frequenter & in diver-  
sis placitis admonitionem fecimus, & per Ca-  
pitularia nostra qualiter hæc obseruentur or-  
dinavimus, volumus atque jubemus ut de  
omni collaboratu & de vino & foeno fideliter  
& pleniter ab omnibus nona & decima per-  
solvatur. De nutrimente verò pro decima, sicut  
haec tenus consuetudo fuit, ab omnibus obser-  
vetur. Si quis tamen Episcoporum fuerit qui  
argentum pro hoc accipere velit, in sua pote-  
state maneat, juxta quod ei & illi qui hoc per-  
solvere debet convenerit.

Item de nonis & decimis. *Ex eodem,*  
*cap. v. lib. v.*

Lib. 5. Capi-  
tular. c. 145. **X LV II.** De his qui nonas & decimas  
jam per multos annos aut ex parte aut ex toto  
dare neglexerunt, volumus ut per Missos  
nostros

nostros constringantur, ut secundum consuetudinem priorem solvant unius anni nonam & decimam cum sua lege, & insuper bannum nostrum. Et hoc eis denuntietur, quod quicunque hanc neglegentiam iteraverit, beneficium unde haec nona & decima persolvi debuit amissurum se sciatur.

Item de eadem re. *Cap. vi.*

**XLVIII.** Quicunque decimam abstrahit  
de Ecclesia ad quam per justitiam debet dari  
& eam presumptuosè vel propter munera aut  
amicitiam vel aliam quamlibet occasionem ad  
alteram Ecclesiam dederit, à Comite vel à  
Misso nostro distringatur, ut ejusdem decimæ  
quantitatem cum sua lege restituat.

Item de eadem re. *Cap. vii.*

**XLIX.** De decimis quas dare populus non  
vult nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab  
Episcopis prohibendum est ne fiat. Et si quis  
contemptor fuerit inventus, ut nec Episcopum  
nec Comitem audire velit, si noster homo fuerit,  
ad presentiam nostram venire compellatur.  
Ceteri vero distringantur, ut inviti Ecclesiae  
restituant quod voluntarie dare neglexerunt.

Item de eadem re. *Cap. ix.*

**L.** De illis qui agros dominicatos propterea  
neglexerunt excolere ut nonam & decimam  
exinde non persolvant, & alienas terras ad ex-  
colendum propter hoc accipiunt, volumus ut  
de tribus annis ipsam annonam cum sua lege

D